



## Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos  
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rervm  
Christianarvm Memoria, Libri X**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Helmestadi[i], 1671**

Cap. II. De Iacobo Episcopo Hierosolymitano primo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10968**

## D HAYMONIS

## HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER II.

## C A P V T I.

*De Electione Matthiae Apostoli, & septem  
Diaconorum.*

**R**Estat ut de his, quæ post ascensionem Domini proximè consecuta sunt, dicamus. Mittunt Apostoli sortem, & pro Iuda traditore eligunt Matthiam. Ordinant etiam septem Diaconos, ministerii viduarum gratia, è quibus unus statim post ordinationem suam lapidatur. Propter quod & nomine suo coronatur à Domino;  $\zeta\epsilon\varphi\alpha\gamma$  enim interpretatur corona,

## C A P . II.

*De Iacobo Episcopo Hierosolymitano primo.*

**T**Vnc deinde Iacobus, frater Domini, primus Hierosolymitanæ ecclesiæ suscepit sedem, cum esset vir tutum merito, & vitæ insignis privilegio. Clemens in libro Dispositionum. Nam licet Petrus, & Iacobus, & Iohannes omnibus pene post Ascensionem Domini fuerint prælati, tamen non sibi vendicant gloriam, sed Iacobum qui dicebatur Iustus, Episcopum statuunt. Huic quippe Iacobo, & Petro, & Johanni, Dominus post resurrectionem omnem scientiam tradidit, & ipsi cæteris Apostolis; qui Apostoli ipsis lxxii. tradiderunt.

Ioan-

ECCLESIAE LIB. II.

Duos autem Iacobos fuisse constat: unum fratrem  
Ioannis, alterum hunc Iustum, fratrem Domini: qui fra-  
ter Domini dictus est pro eo, quod esset filius Ioseph,  
qui Christi quasi pater habebatur.

C A P. III.

Quare Iacobus sit frater Domini dictus,

H A Y M O,

De eadem materia, secundum quod reperit in

Sententiis Patrum.

**S**ciunt etiam qui diligenter exploraverunt, quia  
Frater Domini sit dictus, tanquam cognatus sit. Hic  
enim mos Hebræorum, cognatos vel propinquos  
Fratres dicere vel appellare. Frater igitur Domini  
sic dictus est, quia de Maria, Sorore matris Domini,  
& patre Alpheo genitus est. Vnde Iacobus Alphei appel-  
latur. Sed quoniam nunc se ingessit occasio de duo-  
bus Jacobis, omnem quæstionem rescindamus, & al-  
tius generis eorum repetamus originem. Maria mater  
Domini, & Maria mater Iacobi, fratri Domini, & Ma-  
ria Iacobi, Fratris Iohannis Evangelistæ, sorores fue-  
runt de diversis patribus genitæ, sed de eadem ma-  
tre, scilicet Anna. Quæ Anna primo nupsit Ioa-  
chim, &  
de eo genuit Mariam matrem Domini. Mortuo Ioa-  
chim, nupsit Cleophae, & de eo habuit alteram Mariam,  
quæ dicitur in Evangeliiis Maria Cleophae. Porro Cleo-  
phas habebat fratrem Ioseph, cui filiastram suam bea-  
tam Mariam desponsavit. Suam verò filiam dedit Al-  
pheo,

B

pheo,